

78N13 [133]

NIHIL ALIQUID OMNIA  
VIRO PLURIMUM REVERENDO  
**M.ERNESTO STOCK-  
MANNO**

P. L. C.

SACRORUM HOLDENSTADIENSIIUM  
ANTISTITI  
LONGE FIDELISSIMO  
INSPECTIONIS TENSTADIENSIS  
ADJUNCTO

MERITISSIMO  
PARENTI

OMNI REVERENTIAE CULTU PROSEQUENDO  
DIE NATALI SEXAGESIMO & OCTAVO  
M DCCXXXIII d. 29. MART.

FILIALI OBSERVANTIA ET PIETATE

DAT DICAT CONSECRAT  
FILIUS OBSEQVENTISSIMUS

**AUGUSTUS STOCKMANN**

S. MINIST. CANDIDATUS.

---

MARTISBURGI, LITERIS CHRISTIANI KOBERSTEINI.



Kapsel 78N13 [133] X3032536

NIHILUM

omnium, quotquot ob oculos nobis versantur, rerum  
 invenimus esse principium,  
 ex quo aliquid & omnia, quæ existunt, sunt producta.  
 Quo nos cunque modo vertimus, nihil offendimus.

Nihil fuit ab initio mundi,  
 meræ tenebræ, nihil lucis,  
 vsque donec omnipotens numen e nihilo illo aliquid,  
 scilicet lucem intulit

In mundo sunt solum & salum;  
 e nihilo autem factus,  
 in nihilum rursus annihilabitur.

Ex nihilo nihil fit.

Hinc,

etsi nihil sit orbe creatio pulchrius,  
 quod si structuræ rationem habeas,  
 quodque Deus cum natura nihil frustra faciat,  
 nihil tamen perennitate gaudet,  
 nihil est tenax & stabile,  
 nihil suaue, nihil jucundum.

Nihil adeo dulce est,  
 quod non nobis amarum tandem videatur;  
 nihil ita placet,  
 quod non displiceat,  
 quando plus aequo duraverit.

Nihil est perfectum,  
 nihil omni ex parte beatum,  
 defectum quivis egenus patitur homo.

Nihil est nobis proprium,  
 omnia sunt, qui mutuavit, Dei.  
 Nihil in mundo, nisi anxius labor,  
 nihil dat vita sine sudore gravissimo.

Siquid prodest, nihil ita,  
 vt non violare idem possit.

Nihil superest nobis,  
 nisi cura, timor, expectatio, & denique finis:  
 quid enim in nihilo quæretur constantiæ?

Homo,

parvus qui dicitur mundus,  
 ex humo, seu nihilo, a Deo progenitus est:  
 vnde nihil ipso fragilius, nihil languidius, nihil flebilius!  
 Nihil est in homine, sine Dei numine.

Est vas,  
 quod jactatu, non ætate, solvitur,  
 lucerna in vento posita,  
 pulvis & umbra,  
 e turpi luto atque sorde concretus.  
 Quæ cum sit terrigenæ conditio,  
 quid tota ipsius erit vita?  
 vitrum, nebula, fumus, nihil,  
 tantum modo valens,  
 quasi cum tesseris ludas.  
 Quomodo fabula, sic & vita.  
 Ex vita disceditur, tanquam ex hospitio,  
 homine ipsi commodato,  
 non donato.  
 Est vita avicula,  
 quæ pueri manu tenetur,  
 et in ipsis sæpe primordiis evolat,  
 ut non fuisse videatur.  
 Est rosarium,  
 in quo flores sunt carduis intermixti.  
 Tricæ & spinæ omnis hæc vita,  
 Fallimus & fallimur,  
 in ea quærentes gaudiorum flores.  
 Vnus dies gradus est vitæ;  
 alter nascitur, alter moritur.  
 Quid loquar de divitiis, honore, voluptate?  
 nihil agnoscunt,  
 nihil sunt,  
 cum partim in nullius potestate,  
 partim fluxa & caduca sint.  
 Quid dicam de tranquillitate animi, ab Epicuro defensa?  
 nihil est,  
 mente nostra, a Deo non pacata, mari inquieto simili.  
 Quid afferam de virtutis exercitiis?  
 Quid de omni, quod sana præscribit ratio?  
 Quid de eruditione affirmem?  
 Quid de omnibus, quarum homo capax, rebus?  
 ita se habent, vt nihili nomen demereantur.  
 Sic omnia, quæ sunt, nihil sunt,  
 vt inde secta Philosophica, [Vid. Wenz. Hist. Redn. p. 1100  
& Hubn. Hist. P. IX. p. 694.]  
 tempore quæ Imperatoris Chinenfis Hœiti floruit,  
 summum in nihilo quæsierit bonum.

Ex nihilo factum est aliquid:

Hinc  
est aliquid supra nos, cœli,  
sursum corda;  
est aliquid infra nos, terra,  
deorsum mentem;  
est aliquid in nobis, conscientia;  
ubi nihil est miserius, quam animus male conscius;  
est aliquid extra nos,  
boni & mali prænuntia fama.

Ex nihilo exorta sunt omnia;  
Omnia vero, quæ audiunt bona,  
bonum Deum agnoscunt autorem,  
qui omnia in omnibus,  
et a quo omnia,  
quæ per lapsum mala evaserunt,  
irreprehensibilia facta,  
qualis quia fons, tale illud, quod ex ipso fluit.  
Cum itaque omnis sit rei primordium nihil,  
et quicquid existet, vere nihil dicatur,  
ab eo vero, qui nihil habet, nihil requiri possit,  
quamquam nihil habenti nihil quoque desit,  
hodierno Tuo Tibi natali,

OPTIME PARENS,  
offero nihil,  
nihil magis in votis habens,  
quam, vt nihil Te tangat & angat,  
nihil Te affligat molesti,  
nihil curis, proximi salutis devotis, obsit,  
quo possis hunc  
et plures consequentes annos  
sine offensa felix pervivere.

Ita habebis etiam  
aliquid,  
salutem & prospera quæque,  
vt prævalidæ sint Tibi in corpore senili vires;  
Quid autem sanitate, salubrius?  
Omnia sint sano ac sospiti,  
quæ Tibi omnia filiali ex corde apprecatum cupio,  
vt concedat DEUS omnia fausta,  
et sit in omnibus Tecum;  
quin, vt existat Tibi DEUS ipse omnia.

87 N 13 1333



LIQVID OMNIA  
 MUM REVERENDO  
**TO STOCK-**  
**ANNO**  
 P. L. C.  
 DENSTADIENSUM  
 TISTITI  
 FIDELISSIMO  
 S TENSTADIENSIS  
 UNCTO  
 RITISSIMO  
 RENTI  
 TIE CULTU PROSEQUENDO  
 SEXAGESIMO & OCTAVO  
 CIII d. 29. MART.  
 RVANTIA ET PIETATE  
 AT CONSECRAT  
 SSEQVENTISSIMUS  
**S STOCKMANN**  
 ST. CANDIDATUS.



Kapsel 78N 13 [133] X3032536